

295

293

299

289

304

284

344

244

394

194

Ende

Anfang

284

magnus in Lateranensi ecclesia celebravit, ratione contra Constantium minorem exulat.

Hanc ergo civitatem egregiam Turci ceperunt loco Cretae insulae. Quamvis autem insula Creta sit optima, sunt tamen in ea quaedam valde detestabilia. Primum est immunditia. Immundi enim tenent Candiam civitatem in tantum, quod abominabile est videre; omnem namque domorum immunditiam effundunt in publicos vicos, ante aedes humana (171 a) stercore, non enim habent in domibus cloacas, sed egesta in ollas projiciunt in publicum, sicut cadavera animalium, canes mortuos et cattos, et quaecumque in domibus non possunt sustinere, per fenestram in vicos projiciunt ante suas fores, nec est qui deportet, et nisi suo fervore statim humiditates consumeret [sol], nemo posset tolerare foetorem. Adeo autem augmentatae sunt immunditiae, quod terra super postes inferiores ostiorum excrescit, ita quod jam in domos est descensus per duos vel tres gradus, in quas secundum aedificii dispositionem fuit ascensus per duos vel tres gradus. Caussam autem illius incuriae sciscitatus a quodam Cretensi mihi facto familiari, qui dixit mihi, quod ante Constantinopolitane urbis perditionem omni septimana purgabatur civitas per personas deputatas, sed amissa urbe tam ordinatae politiae Cretenses et aliae Christianorum civitates desperantes politiae ordinem deseruerunt, providentes solum domibus suis, de publicis et communibus rebus non curantes, ac si jam in Turcos transferendi essent. Alia immunditiae caussa est, quia Veneti tributa exigunt magna nec de civitatis ordine et politia curant in his, sed magno studio observant, ut tributa solvant et quod non conspirationem faciant; ideo semper aliqui magni de senatu Venetorum ibi sunt officiales annui, qui non curant de pulchritudine vicorum. Tertia caussa illius immunditiae sumitur ex communi proverbio apud nos, quo dicitur, omne pingue est immundum; et: ubi opes ibi sordes; et: ubi pinguedo ibi putredo. Est autem Candia farrago pinguedinis et abundantiae omnium bonorum, quibus humana vita sustentatur, ideo immunda.

Secundum detestabile est, quod cum sit in medio mundi, ut supra dictum est, confluunt ad eam multi cotidie, et tamen in tota urbe non sunt aliqua hospitia honesta nec pro mercatoribus nec pro peregrinis, nec pro Turcis nec pro Sarracenis, sed omnes concurrunt adire lupanaria, honesti et religiosi, et ibi pro vitae suaee

